



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Explanatio In Psalmos**

Complectens primos 25. Psalmos

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Dusseldorpii, [1761]**

**VD18 15558428-001**

Psalmus XVI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53377)





Docuisti me vias, seu modum, ceteris ignotum, scil. post mortem redeundi ad vitam. *Adimplebis &c.* gloriosum, beatum facies me, Vultum tuum mihi ostendendo; ex visione enim Dei, in quâ consistit essentialis beatitudo, redundat gloria in corpus, quâ Christus adhuc carebat, nam gloriam animæ à conceptione habuerat. *Delectationes &c.* Imò ad dexteram collocabis me in cælis, ubi sunt delectationes sinè fine.

---

## PSALMUS XVI.

**T**itulus: *Oratio David.*

Argumentum: *Psalmus est oratio iusti, persecutionem injustè patientis, quâ precatur à Deo liberationem. Ducit autem argumenta, primum ab innocentia suâ; secundum à justitiâ Dei; tertium à misericordiâ ejusdem; quartum à malitiâ impiorum, justos persequentium.*

✱ 1. *Exaudi Domine justitiam meam: intende deprecationem meam.*

✱ 2. *Auribus percipe orationem meam, non in labiis dolosis.*

Pri-





Primum orat exaudiri iustitiam suam: nam apud iustum iudicem magis clamat causa, quam persona. Dein petit, etiam attendi ad preceationem suam, quia Deus non solum iustitiam, sed & iustos diligit, & multum valet oratio iusti. Tum coniungit utrumque, iustitiam, & deprecationem. *Auribus &c.* audi orationem, quae non prodit ex labiis dolosis, sed in iustitia nititur.

*v. 3. De vultu tuo iudicium meum prodeat, oculi tui videant equitates.*

Secundò Deum appellat iustissimum iudicem: ab ore tuo sententia mea pronuntietur. *Oculi &c.* noli claudere oculos, & considera, quid iustitia exigit.

*v. 4. Probasti cor meum, & visitasti nocte, igne me examinasti, & non est inventa in me iniquitas.*

Ratio, cur velit à Deo iudicari: tentasti, qualis sim intus, ubi nemo videt praeter te; experimentum de meâ sinceritate fecisti. Tum subdit duo tempora, quibus apparet, quid sit in corde. *Visitasti nocte*, h. e. cum in occulto occasiones peccandi habui sine periculo detectionis. Dein *igne persecutionis me examinasti*:





minasti: tum scil. aurum lucet, & palca  
fumat, sive boni à malis discernuntur.

*v. 5. Ut non loquatur os meum ope-  
ra hominum, propter verba labio-  
rum tuorum ego custodivi vias duras.*

Dat causam, cur Deus non invene-  
rit in eo iniquitatem. Permansi in viâ  
justitiæ, quamvis asperâ, & durâ, ne-  
que me ulla tribulatio ab eâ viâ declina-  
re fecit. Permansi autem in hac viâ prop-  
ter verba labiorum tuorum, h. e. propter  
mandata tua, promissiones, minas. *Ut  
non loquatur &c.* ut non cogar implo-  
rare opem humanam, ne à spe humanâ  
pendeam, nec laudem opera hominum.

*v. 6. Perfice gressus meos in semitis  
tuis, ut non moveantur vestigia mea.*

Sicut tuo, Domine, auxilio perman-  
si in viâ justitiæ: ita confirma, & stabi-  
li gressus meos in hac viâ tuâ: ne forte  
declinem ab eâ, si tuo adiutorio defituar.

*v. 7. Ego clamaui, quoniam exau-  
disti me Deus, inclina aurem tuam  
mibi, & exaudi verba mea.*

Concludit ab innocentia suâ, & à  
justitiâ Dei, & repetit orationem ab ini-





rio positam. Cum fiducia clamavi, quoniam semper aliàs exaudisti me; & ideo pro solità benignitate nunc etiam exaudi me.

*v. 8. Mirifica misericordias tuas, qui salvos facis sperantes in te.*

Hoc est tertium argumentum à misericordià Dei. Etsi me innocentem existimem à crimine, ob quod tribulor; fortè ob alia peccata mea justè punior. Ergo *mirifica &c.* manifestè misericordias tuas exerce in me liberando, ut omnes mirentur: tuum enim est salvare omnes, in misericordià tuà sperantes.

*v. 9. à resistantibus dexteræ tuæ custodi me, ut pupillam oculi.*

Resistunt dexteræ, qui vel lædunt, quos tu protegis, vel non ambulant, quò tu ducis. Similitudo à pupilla aptissima est quia est res infirmissima, & pretiosissima, & ideo diligentissime custodiri solet, & ab ipsa natura munita est tum variis tunicis, tum palpebris, & pilorum vallo.

*v. 10. Sub umbra alarum tuarum protege me, à facie impiorum, qui me affuxerunt.*

Idem





Idem repetit aliâ similitudine. Ut pulli securè teguntur alis gallinæ, ne lædi possint à milvis: sic justus optat protegi ope Divinâ contra persecutores suos. à facie &c. h. e. vel à conspectu: nam alæ sic pullos tegunt, ut non videantur à milvis; vel à morsu impiorum, cum dentes sint in facie. *Qui me afflixerunt*, indicat, jam expertum se morsu impiorum, & opem quærit, ne, si sæpius mordeatur, tandem consumatur.

¶ II. *Inimici mei animam meam circumdederunt, adipem suum concluserunt, os eorum locutum est superbiam.*

Argumentum quartum à malitiâ inimicorum: hi me ipsum undique premunt; *adipem* &c., nihil misferentur, licet me videant ad extrema redactum; imò superbè insultant. Maluit dicere, *adipem*, quàm *viscera* clauserunt, ut simul indicaret causam, unde viscera clauduntur, quæ est multiplicatio adipis, s. e. opulentia temporalis: sicut enim adeps naturalis claudit viscera carnalia: ita multiplicatio opum facit superbè fa-





pere, contemnere proximos, & claudit viscera spiritualia.

¶. 12. *Projicientes me nunc circumdederunt me, oculos suos statuerunt declinare in terram.*

Dupliciter mihi quærunt nocere; cum antea projecissent me à suo consortio, ne fruerer communibus bonis; nunc iterum quærunt me, & circumdant, ut malis afficiant. Hujus autem malitiæ causa est, quia firmiter decreverunt non aspicere in Cælum, ne timorem ullum Dei admittant; sed solum terram intueri, & ea, quæ in terrâ sunt; bona sectari.

¶. 13. *Susceperunt me sicut leo paratus ad prædam, & sicut catulus leonis habitans in abditis.*

Bis dicit idem. Non solum circumdederunt me, sed crudelissimè in me sævierunt, suscipiendo me eâ aviditate, & sævitiâ, quâ leo paratus ad prædam, aut leonis catulus latens in insidiis, suscipit occurrentem oviculam. *Susceperunt* nempe ad succidendam, quia non succiderunt re ipsa, sed voto, Deo non aliter permittente, ut patet ex ¶. seq.

¶. 14.





*A. 14. Exurge Domine, præveni eum,  
& supplanta eum: eripe animam  
meam ab impio, frameam tuam ab  
inimicis manûs tuæ.*

Explicatâ malitiâ persequentium,  
rogat Deum, ut liberet, quia solus po-  
test. *Exurge*, incipe juvare: *præveni*  
dentes impii leonis, ne me mordeat,  
& occidat. Et verè solus Deus præveni-  
re potest actionem causæ, licet velocissi-  
mè agentis, ut patet in Daniele inter leo-  
nes, tribus pueris in igne Babylonico.  
*Supplanta*, h. e. mirabili providentiâ tuâ  
fac, ut, dum se putat nocere justo, no-  
ceat sibi. *Eripe frameam*, potestatem à  
Te datam *inimicis manûs tuæ*, non se-  
quentibus directionem tuæ manûs, sed  
aburentibus potestate datâ.

*X. 15. Domine à paucis de terra di-  
vide eos in vita eorum: de abscondi-  
tis tuis adimpletus est venter eorum.*

Imprecatio est prophetica, prædicit fore,  
ut separet multitudinem impiorum grege  
justorum, non solum in vitâ futurâ, sed &  
præsenti, quam ipsi solum vitam suam  
agnoscunt. Divisio in eo est, quod justis

G

bona





bona æterna tribuantur, impiis bona terræ, quæ veluti de thesauro abscondito Dei singulis annis emanant; & hanc partem suam esse dicunt.

✱. 16. *Saturati sunt filii, & dimiserunt reliquias suas parvulis suis.*

Abundant filiis, & iis post mortem relinquunt bona sua residua. Hæc ipsorum est felicitas, ut ipsi, & hæredes bonis circumfluant.

✱. 17. *Ego autem in justitia tua apparebo conspectui tuo, satiabor cum apparuerit gloria tua.*

Hæc est divisio, quòd illi saturati cupiant bonis hujus vitæ; ego autem, uti & cæteri justii, esuriam justitiam, justè coram Te vivam, & cum postea mihi apparebit gloria, tum demum verè satiabor, nihil ampliùs expetens.

---

## PSALMUS XVII.

**T**itulus, & argumentum: *In finem, Pueri Domini David, qui locutus est Domino verba Cantici hujus, in die, quòd*

eri-